



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1649

§. 9. Ira mala venialis vel mortalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

er, quodammodo rationi: sed non attentè eam audit; ritu canum, qui priusquam considerarint: sitné is amicus, qui pulsavit, allatrant. Sic ira feruore ac repentino natura motu incitata, audit illa quidem rationem: sed præscriptione non intellecta, ad supplicium se ultionemq; conuertit.

Adeo

furor iraq; mentem

Præcipitant.

Potens est morbi huius remedium, cognitio illius. Quare sapienter fertur Plato auditores suos admonuisse, vt irati se in speculo contemplarentur. Nam dicebat, cum faciem suam furibundam, per omnia, phrenetico similem viderent, eo dedecore territos, imposterum ab ira sibi facile temperaturos. Est autem ira vitiosa, immoderata cupiditas puniendi eius, à quo se quis læsum arbitratur. De hac ait S. Paulus: *omnis indignatio, & ira tollatur à vobis; illa scilicet omnis, quæ rationis excedit modum, vt S. Thomas monet. Cùm enim ira sit passio, passio autem appetitus sensitiui, vt supra dictum est, eousque sit bona, quousque regitur à ratione, mala ibi esse incipit, vbi velut torrens extra alueum effusus, ordinem rationis excedit. Vnde, si quis vindictã*

S 4

à recta

Virgil. L. 2
Æneid.

IX.
IRA MALA
VENIALIS,
VEL MOR-
TALIS.

Ephes. 4.

S. Thom.
2. 2. q. 158.
art. 2.

à recta ratione dictatam meditetur, vocatur ira eius, *ira per zelum*, est que laudabilis ille appetitus. Sin autem vindicta, contra regulam normamque rationis, coquatur, ut vel puniatur is, qui non meruit; vel plus acerbiusque puniatur, quam meruerit; vel etiam non legitimo ordine, aut non legitimo fine, qui est conseruatio iustitiæ, & culpæ correctio; tunc appetitus iræ est malus ac vitiosus, nominarique solet *ira per vitium*; est que peccatum saltem veniale, si rationem præueniat, atque nimia passione erumpat, aut in modico vindictam expetat, aut ad effectum grauem non perducatur. Etsi enim ira, quia & charitati, & iustitiæ est contraria, ex genere suo, sit peccatum mortale; potest tamen talis appetitus, ob imperfectionem actus, esse tantum peccatum veniale. Quæ imperfectio actus vel oritur ex parte appetentis, in quo motus iræ iudicium rationis præuenit; vel ex parte appetibilis, quando scilicet aliquis, modicè duntaxat, & in re nullius momenti, quæ quasi nihili esse putatur, se se vult vindicare; quæ res ipsa si alteri inferretur, tamen mortaliter non peccaretur. Grauis & mortalis ira esset, si quis demissis, ut aiunt, auriculis, & deliberatè notabilem vellet vindictam

S. Thom.
ib. art. 3.

dictam, immerito, vel maiorem, quàm meruisset, vel propria authoritate, vel contra juris ordinem, vel præcipuè, non amore iustitiæ, sed vt proximo malè sit, ex odio & malevolentia, parare. Hæc sunt, quæ iram efficiunt inordinatam, & frænum exigunt. *Esto, sit natura irasci,* ait S. Ambrosius, *aut plerumque causa; hominis est tamen temperare iracundiam, non leonino raptari furore, non assuescere clamori, non serere, nec acerbare familiare iurgium; nec in fermento iacere, & stomachari.*

Aiebat porrò Democritus, *iram, quemadmodum canes, cacas criminationes parere.* Quod verum est; satis non est. Nascuntur enim ex illa plures filix, omnes vtique, vt S. Gregorius monuit, detestandæ: *rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia.* Iratus siquidem, vt scloppus, igne admoto, illico in sonum erumpit, & in rixas, & in clamores, & in indignationes, & in ipsū Deum blasphemandum. Quin & mente intumescit, quia lædi, putat esse contemni. Hæ sunt filix iræ. Nec sufficiunt istæ. Quippe ira intus in animo, tanquam Æthnæa quædam excitat incendia; quæ prorumpunt in omnia animi vitia, & corporis membra; in flammam oculorum, in ruborem vultus; in

S 5

linguæ

S. Ambr.
ep. lib. 10.
ep. 82.

X.

IRAE EFFECTVS.
Maxim.
serm. de
Ira.
S. Greg.
l. 31. Mor.
c. 31. seqq.